

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Andreae Alciati Emblemata**

**Alciati, Andrea**

**Patavii, 1661**

In fordidos. Emblema LXXXIIX.

[urn:nbn:de:bsz:31-127360](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-127360)

In sordidos.

## EMBLEMA LXXXIIX.



**Q**UAE rostro, clystere velut, sibi proluit aluum  
 Ibis, Nilivacis cognita littoribus,  
 Transijt opprobrij in nomen: quo Publius hostem  
 Naso suum appellat, Battiadefq; suum.

## COMMENTARI I.

- I.** **I**BIS avis Aegyptia, sese hoc loco incurvat, & sibi ipsi per posteriora rostro aluum proluit. Ibis autem formam sic describit Herodotus in Euterpe: Nigra, inquit, tota vehementer est, cruribus gruinis, rostro maxima ex parte adunco, eadem qua crex (avis pugnax, & ad cibum comparandum ingeniosa) magnitudine. Et haec quidem species est nigrarum, quae cum serpentibus pugnant. At earum, quae pedes humanis similes habent (nam bifariae ibides sunt) gracile caput ac totum collum, pennae candidae, praeter caput cervicemque, & extrema alarum, & natium, quae omnia sunt vehementer nigra, crura & facies alteri consentanea. Colitur ab Aegyptiis, quia serpentes alatos ex Arabia in Aegyptum, vete ineunte commigrantes interfecit. Sic quoque Cicero 1. de Natura Deorum. Velut ibes maximam vim serpentum conficiunt, cum sine aues excelsae, cruribus rigidis, corneo proceroque rostro. Auertunt pestem ab Aegypto, cum volucres angues ex vastitate Libyae vento Africo inuectas inter-

interficiunt, atq; consumunt: ex quo fit, ut illæ viæ nec morsu noceant, nec odore mortuæ.

II. Ibis na turæ.

PLINIVS lib. 8. cap. 27. de Ibide sic ait: Simile quiddam & volucris in eadem Ægypto monstravit, quæ vocatur Ibis, rostru aduncitate per eam partem se abluens, qua reddi ciborum onera maximè salubre est. Hæc Plinius. Vide Aristor. lib. 9. de histor. animal. c. 27. & lib. 3. de generat. anim. c. 6. Ammianum lib. 22. Histor. Pompon. Melam lib. 3. cap. 9. Solinum cap. 45. Plutarchum de industria anim. Pieriũ Hieroglyph. lib. 17. Quamobrem Ovidius & Callimachus suos amulos & obrectatores hoc nomine insignes esse voluerunt, ut mox subiiciam.

III. Clyster.

CLYSTERE velut] Clyster Græcis κλυ στήρ. κλυσμός, κλύσμα. ἐγκλύσμα, & κλυ στήριον, à verbo κλύζειν, quod est abluerè, est in genere omne medicamenti genus si gnificet, quod liquidum in partem aliquã infunditur: tamen in specie plerumq; accipitur solum pro medicamento, quod per anum in intestina iniicitur: unde etiã ἐνιμα dicitur. Huius autem medicamenti vsum hominibus ostendisse ibin, refert Plinius lib. 8. cap. 27.

Ibis] De Ibide lege quæ scribit Plutarchus Comment. Vtrum plus rationis in sit correctribus animantibus quàm aquaticilibus; Strabo lib. 17. ἡμερώτατον δὲ ἢ ἰβίς, πελαργώδης μὲν κατὰ σχῆμα καὶ μέγεθος. διττὴ δὲ τὴν χροίαν, ἢ μὲν πελαργώδης, ἢ δὲ ὄλη μέλαινα. μεστὴ δ' αὐτῶν ἀπάσα τριόδον ἐν Ἀλεξάνδρει.

Ibes pecul iares Ægypto.

Niliacis cognita] in Ægypto nota. Aristor. 9. histor. anim. Sunt verò ibes tam propriæ & peculiates Ægypto, ut extra eam regionem viuere non possint, asportataq; ocysimè moriantur. Hinc ibes hieroglyphicè Ægyptũ significare scribit Pierios 17. Hieroglyph. De Nilo portò, qui mira ferocitate vniuersam Ægyptum beat alluione sæcunda, habes multa apud P'op. Melam lib. 1. cap. 9.

Nilus.

Transijt opprobrij in nomen] translata est in probrosam appellationem sordidorum & obscenõũ. Videtur autem Alcæus velle facere nouum adagium, & meritò. Nam Ibides possumus vocare sordidos, propter auis huius naturam, quando quidem sic vocauit Ovidius hoste suum,

in quem scripsit Ibis: & Callimachus carmen maledicum scripsit in Apollonium, qui Argonautas celebrauit, quam recto nomine appellat Ibin, ut ait Suidas.

Quo publius hostem Naso &c.] Ovidius Callimachũ imitatus, aduersarium quemdam suum Ibin appellauit, quòd virum Romanum mentiretur: vel quòd exularis Ouidii vxorem turpi amore tactus sollicitaret: multaq; ad Augustum de ferret, quo diutius in exilio Poeta detineretur. Itaque doctum emisit Poemasion in Ibin Naso, in quo nõ expressit maledici nomẽ, siue quòd inultus maledicat, & prouocatus regerat in eum conuicia; siue quòd aliquem nominatim carpere, & ita verbis profcindere lege prohibitum esset. Ovidius eodem opusculo in Ibin:

Ouidius in Ibis

Nũc quo Battiades inimicũ deuonet Ibin:

Hoc ego deuoueo teq; tuosq; modo.

Battiadesq;] Callimachum intelligit Poetam elegiacum Cyrenæum, discipulũ Hermocratis Iasæ Grammatici. Hic Apollonium Rhodium, qui se ingratum discipulum præbuerat, diris impræcationibus deuouit, cumq; per contemptum Ibin nominauit, quasi auem Ægyptiam & Alexandrinam, siue quòd Alexandrinus esset, quamuis Rhodius diceretur; siue quòd spurcissimus & impudentissimus. Dicitur autem Battiades, aut quia originem traxit à Barro rege Cyrenensium, qui alio nomine dicitur Aristæus: aut quia Cyrenæi omnes à Barro gaudebant denominari, sicut Cecropidæ à Cecrope. Nam Battus, ut ait Pindarus in Pythijs Ode 4. rex fuit inclitus & probus; quamq; charus fuerit Cyrenæis, aperit Aristophanes in Pluto. Vide prouerb. Batti Silphion. Suidas Callimachum Batti filium & Mesarma facit, qui etiam huius poematis meminit his verbis: ἰβίς, inquit, ἐστὶ ποινήμα ὀδύνηδενὸς ὄψων εἰς ἀσάφειαν ἢ λοιδόριαν εἰς τινὰ ἰβὶν γενόμενον ἐχθρὸν τῷ Καλλιμάχῳ. ἢ δ' οὗτος Ἀπολλώνιος ὁ γράψας τὰ ἀργοναυτικά. Ac Apollonius nõ tam doctõri suo, quam patriæ ingratus, meritò nomen id sortitus est, præcipuè cum per ignominia vocabulum spurcissimæ volucris, qua refertissima patria fuit, quam tum auersabatur, ferre coactus esset. Ovidius lib. 4. Amor. eleg. 15. sic laudat Callimachum:

Callimachus

Cur Battiades dicitur

Battiades toto semper cantabitur orbe. I D dicitur in putidos & sordide quamdam sordidi.

IV. Homines impuri et sordidi.

dam insignes, vt qui turpia, & quæ alioqui silentij fidem requirunt, cructantes aperiant, & quæ natura prouida voluit esse tecta, detegunt euulgantq; sicq; interdum loquuntur, vt, quod vulgo dici solet, podicem ex ore faciant. Hos itaq; non ab re Ibides dixeris, id est, sordidos & ineptulos; indignos, inquam, qui in hominum albo numerentur, perspecto auis ingenio. Hæc

enim (vt diximus) rostri aduncitate se p eam purgat partem, id est, aluum, qua reddi ciborum onera maximè est salubre. De panthera ferunt, eam tam auidam esse excrementorum hominis, vt si in vase suspèdantur altius quàm possit attingere, cneet sese defatigati porrectu corporis: Ita nonnullis, quod est scedissimum, id dulcissimum est. Vide prouerbium, *Oscè loqui.*

In diuites publico malo.  
EMBLEMA LXXXIX.



**A**NGVILLAS quisquis captat, si limpida verrat  
Flumina, si illimes ausit adire lacus,  
Cafus erit, ludetq; operam: multum excitet ergo  
Si creta, & vitreas palmula turbet aquas,  
Diuces erit: Sic ijs res publica turbida lucro est,  
Qui pace, arctati legibus, esuriunt.

COM.